

Ih s

Pax Christi.

Etsi ego de facie Ill^{mae} Dñi Vestrae plane ignotus, tamen utpote eiusdem matris Societatis Nostrae filius, germana charitate, et munere frater, obsequio servus vester in Domino, vobis scribere
5 et rerumstrarum statum paucis aperire constitui; cum enim Amplitudo V^a Ill^{ma} sponte ob ingenitam humanitatem, a nobis non rogata, de rebus nostris cum S^o Pontifice agere coeperit et suo favore ad meliorem statum perduxerit, quid de eadem humanitate vestra, additis miustissimis precibus, sperandum est? Profecto optatum votis
10 nostris exitum negotia nostra plane consecutura confidimus. Paucis igitur rerum seriem accipite.

Ecclesia haec a divo Thoma apostolo fundata, post eiusdem gloriosissimam passionem ad haec usque tempora inter idolorum cultores, inter pravas perversasque nationes quasi luminare refulsit.

15 A babilonico patriarcha ad eam regendam destinabantur praesules, archiepiscopali metropolitano titulo insigniti, ut ex vetustissimis dodicibus, ex antiqua traditione et huius ecclesiae firmata consuetudine constat. Verum pastorum incuria et vicinorum infidelium malo exemplo huius ecclesiae facies immutata erat, ut praeter
20 ritus quosdam antiquissimos, quasi fidei apostolicae momumenta, christianae religionis insignia nulla retineret. Gloriabantur tamen nomine Christi et divi Thomae, Nazarenorum titulo iactabantur, crucis vexillum ubique erexerant templaque excitarant, ex sacris ecclesiae misteriis solo baptismo rite utebantur, sed tantum ad
25 ulti, libri Nestoriana labe usquequaque aspersi, quaedam etiam ~~Chaldaicae~~ Chaldaicae superstitionis veneno imbuta volumina pervolvebant. Longo vero improboque patrum Societatis nostrae labore et industria ad orthodoxae fidei normam haec ecclesia restituta est, haeresi abiurata, patriarcha babilonico reiecto, ad sanctae Romanae ecclesiae
30 ae gremium quasi ovis perdita reportata est, sacrosanctis fidei sacramentis imbuta, sana doctrina instituta, libris vel exustis, vel

1 correctis, sponsa Christi absque macula et ruga effecta est. Hanc
coelestis Sponsi in terris vicarius meae commisit curae, hanc ut
possim virginem castam exhibere Christo pro viribus laboramus, in
hac excolenda et exornanda Societatis nostrae patres insudant. Ve-
5 rum summus Pontifex, regis suasu, cum me in hac ecclesia primum ca-
tholicum episcopum constituit, archiepiscopi titulum extinxit; quod
cum hi fideles intellexissent, magna affecti tristitia, una voce ad
S. Apostolicam Sedem reclamant, inaudita parte, antiquissimae di-
gnitatis titulum ab Apostolis acceptum, cum ad sacrosantae eccle-
10 siae sinum confugerent, immerito sibi auferri conquesti sunt; maio-
ra siquidem ornamenta sperabant. Ad regem quoque querelarum plenas
litteras dederunt, quibus permotus rex optimus, iterum ad S. Ponti-
ficem de tituli restitutione agi imperavit. Amplitudo Vestra Ill^{ma}
in hoc negotio suam interponat auctoritatem necesse est: id omnes
15 suppliciter postulamus.

Dioecesis haec quondam amplior multa suo ambitu continebat,
sed praelatorum incuria in angustum redacta est. Crangonoris cast-
rum, urbem Cochinensem et Maylapurem, arcem Coulani nostrae iuris-
dictioni antiquae subiecta loca, Lusitanorum adventu amisimus. Nunc
20 Maylapure, quae divi Thomae civitas dicitur, novum Summus Pontifex
praefecit episcopum, nobis Crangonoris castrum restituit. Novus ta-
men Maylapurensis episcopus, si archiepiscopi titulum nobis resti-
tuerint, huic episcopatui suffraganeus de iure est. Cochini urbs et
Coulani ita intra dioecesis nostrae fines inclusae sunt, ita permix-
25 tae seu immersae, ut nullo modo Angamalensi et Cochinensi episcopa-
tui certi limites inconfusi assignari queant; unde fit ut inter nos
de iurisdictione lites perpetuae agitentur modico fructu, maximo
detrimento, nemine decernente vel componente; ex quo maxima scandal
hoc anno exorta sunt in diesque magis pullulabunt, nisi Apostolica
30 manus tanto malo remedium adhibuerit.

Optimum autem esset et opportunum, si Cochini urbem et Coulanum

/ Angamalensi episcopatu restitueret; non enim solum mala impedi-
rentur, sed et multa et innumera bona inde prodirent: nimirum horum
fidelium in S. Romanae ecclesiae obsequio et regis patrocinio firmi-
tas, facilior dioecesis administratio, ad infidelium regulorum ani-
5 mos reprimendos et conciliandos robur et vires, ad ethnicos hos om-
nes ad fidem alliciendos Lusitanorum favor et opera. Quare Ampl^{is}
vae Ill^{mae} partes erunt ut pro hac unione vel restitutione effici-
enda pro viribus laboret; insula enim Ceilani vastissima et ora
Piscaria Cochinesi episcopatu satis superque sunt.

10 Aliud malum, quod in Domini vinea laborantes multum impedit
molestiaque afficit, est divi Francisci religiosorum et ab illis
educatorum quorundam clericorum impunita licentia. Omnia hi audent:
episcoporum iurisdictionem usurpant perturbantque, ab episcopis
censuris ecclesiasticis castigatos foveant, Sⁱ Pontificis privilegia
15 parvi pendunt, diplomata Apostolica nihili faciunt, conservatores
apostolicos ludibrio habent, inter haereticos inaudita impune per-
petrant, episcopis quibusdam resistere non valentibus, quibusdam no-
lentibus vel non curantibus, aliis etiam annuentibus. Unde opportu-
num remedium ad tantam pestem coercendam, vos sacrosanctae ecclesi-
20 ae ecclesiae lumina providete virum probum et sapientem, auri mini-
me cupidum, industrium, apostolica regiaque simul autoritate mu-
nitum, personarum minime acceptatorem, nullius ordinis religiosum
a S^o Pontifice destinandum curate. Archiepiscopus Goanus ad huius-
modi munus adspirat, sed vir est valde meticulosus, non valens per-
25 rumpere iniquitatem sed solum in Societatis Iesu patres audax, ut-
pote rebus nostris parum favens: unde si legati vel nuncii offici-
um adeptus fuerit, solum in patres nostros vires suas exercebit.
Quare in hoc negotio apertos oculos erectasque aures Amplitudo V.
Ill^{ma} habeat oportet, ne rex a Summo Pontifice id extorqueat. Plu-
30 ra circa haec ex patris procuratoris ore percipere licebit.

Anno praeterito, cum sacerdotem quendam Cochinesi episcopo

/ subditum in meo districto deliquisse scirem, saepius admonui episcopum; sed, eo dissimulante, in meo territorio inventum eundem clericum in domo compliciti, in ecclesiasticum carcerem conieci, servato iuris ordine. Unde Cochinchensis episcopus absque ratione exacerbatus clericos et divi Francisci fratres aliquos misit, qui armata manu, vi facta, clericum vinctum e carcere abduxerunt, ipsique fratres clericique sulphurea tormenta exploserunt maximo horum pusillorum et infidelium scandalo. Admonitos facinorosos omnes (exemptis exceptis) canoniceque citatos, tandem ut contumaces anathemate percussos declaravi; sed id moleste ferens coepiscopus noster Cochinchensis, nullo anathemate eosdem vinctos teneri publice contradeclaravit. Multa in hoc genere praetereo brevitatis causa. Unum addo recens factum: ostenso brevi apostolico Cochinchensi episcopo, quo Summus Pontifex Cranganoris castrum dioecesi nostrae concedit, 15 ipso annuente, ad ecclesiae possessionem apprehendendam profectus sum. Sacerdos vero eiusdem ecclesiae vicarius, ecclesia omni prorsus suppellectil spoliata, in monasterium S. Francisci in eodem castro situm se recepit, accersitus venire recusavit. Paulo post apprehensa pacifice possessione, nullo renuente seu contradicente, 20 impertitaque populo benedictione episcopali, cum alio me contulisset, idem vicarius in ecclesia divi Francisci excommunicationem infert in eos qui mihi parere ausi fuerint. Horum religiosorum brachio et episcopi favore huiusmodi facinora, schisma sapientia perpetrare audent. Nec mirum: quidam enim eiusdem ordinis religiosus, 25 a patre quodam nostrae Societatis interrogatus quibus libris uteretur, respondit se vitam fratris Martini Lutheri legere. Quapropter a Dñe Vestra Ill^{ma} obnixè petimus ut effraenatam hanc licentiam & castigare et cohibere studeatis, nullumque in posterum episcopum ex fratrum ordinibus assumptum in has longinquas regiones mitti pro 30 virili curetis.

Singulis annis ad Summum Pontificem literas damus, sed, cum

/ nullum habeamus responsum maximo hic omnes afficimur animi dolore;
 verbum enim consolatorium a Summo Ecclesiae capite ad nos deriva-
 tum maximo nobis solatio et his fidelibus firmitati et adiumento
 esset. Unde Amplitudo Vestra Ill^{ma} de more antiquissimorum et sanc-
 5 tissimorum Pontificum ad fratres filiosque vestros consolandos con-
 firmandosque destinandas literas a Sancta Sede matre nostra impe-
 tret vel extorqueat. Reliqua pater procurator vestris sanctissi-
 mis auribus insinuabit. Interim Deum assidue precabimur ut Amplitu-
 dinem Vram Ill^{mam} Ecclesiae suae sanctae diu servet incolumem.

10 Crangonori 3 decembris 1607 etc.

Ill^{mae} Dominationis V^{ae} servus

Episcopus Angamalensis

 Ill^{mo} Cardinali Bellarmino.

2^a Via

15 Ill^{mo} et R^{mo} D. Roberto Bellarmino S.R.E.Card.Amplissimo Romae
 2^a via ex India Orientali.

Ep.Crangonoren.

Arch.Vatic. Gesuiti 18 fo.73-74. Origin.

Ill^{mo} et Rev^{mo} D.Roberto Bellar^o S.R.E.Cardⁱ Ampliss^o (cach.)
 Romae.

20

2^a via

ex India Orientali.

Ep.Crangonor.